

M 129. 282

DISPUTATIO PHYSICA
DE
N A T U R A.

QUAM

Divinâ favente gratiâ,

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi atq; Experientissimi, +

DN. NICOLAI ÅGERII,
MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ DO-
ctoris eximii, Physices in almâ Argentoratensium Acade-
miâ Professoris acutissimi, Præceptoris ac Fautoris sui
omni observantiæ cultu in æternum
prosequendi,

Pro ingenij sui modulo

Publicè defendere conabitur.

Ad diem 16. Martij. +

JOANNES VITUS, Argentoratensis.

✻ o ✻

ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPLI, Anno 1620.



Nobilissimo, Amplissimo Prudentissimo Viro
DN. SEBASTIANO MÜGIO
à Boffzheim Inclytæ Reipubl. Argentor. Quin-
decimviro, patrono, Fautori ac Mecæ-
nati suo in aeternum colen-
dissimo.

Ut & Nobilissimis optimæque Spei Adole-
scentibus,

DN. JOANNI PHILIPPO } Böcklin à Böcklinsaw/
& } fratribus germanis,
DN. JACOBO FRIDERICO }

Viris itidem prudentiâ & autoritate gravissimis,

DN. JOANNI HARTMANNO, J. U. D. almæ Reipubl.
Argent. Consiliario & Advocato prudentissimo, propatri suo ho-
norando:

DN. HENRICO GAMBSIO, armamentarij apud Argentora-
tenses Præfecto fidelissimo:

Reverendo itidem Viro,

DN. M. LAURENTIO BANTZIO, Ecclesiæ Bofftzheimen-
sis pastori vigilantissimo.

Hoc quicquid est exercitiij physici, humiliter ac
submissè dicat, dedicat, consecrat, offert,

Joannes Vitus Argentoraten.
A. & R.



DISPUTATIONIS PHYSICÆ

DE

NATURA

THESIS I.



U M *περὶ τῆς φύσεως* à Natura Physica suam trahat originem: Physicique negotium omne in Corporis naturalis Contemplatione consistat: non de lanâ (ut tritum illud vulgatumque habet proverbium) caprinâ, nos *συζήτησιν* instituturos, sed negotium labore hoc dignissimum, DE OPT. MAX. inprimis acceptum, nobis verò summoperè utile ac necessarium nos susceptruros sumus arbitrati: si in NATURÆ scientia animi nostri vires, quantum per NATURAM licet, periclitaremur.

I I.

Est autem ea NATURÆ jucunditas, & utilitas: ut nos in hâc aliquousque progressi, non solum pulchritudinem effectuum, verum etiam autorem illius, ipsum DEUM rimemur & miremur.

I I I.

Ingenij igitur vires in Naturali scientia periclitaturus, placuit ad pleniorē planiorēve illius Cognitionem (quanta physico necessaria) pauca delibare: quia non modò scientia ab ea nomen fortitur: verum etiam in eius contemplatione tota est occupata.

I V.

Ut autem non extra Certitudinis Cancellos nostra hæc vagetur disceptatio, *Ἀμφιβολογίαν* vocabuli NATURÆ, moniti Aristotelis 2. sophist. Elench. c. 7. memores, primò Considerabimus.

V.

Occurrit autem quintuplex eius acceptio. I. lib. 8. Metaphys. c. 4. & 2. phys. c. 1. pro τῇ τῶν φεομένων γενέσει, nascentium generatione: II. pro eo ἃ ἔξ ἃ φύεται πρῶτον τὸ φεομένον ἐνυπάρχοντι, ex quo primo

in: xistente, generatur quod gignitur, lib. *δ*. metaph. c. 4. T. *ς*. III. pro τῆ πρώτῃ ὄν prima materia 2. phys. c. 1. IV. μεταφορικῶς pro cuiusq; rei tam substantiæ quam Accidentis definitione. V. pro eo unde primus motus in uno quoque eorum, quæ naturâ sunt, in eo secundum quod ipsum est, 2. phys. c. 1.

VI

In hac posteriori significatione nobis pro instituto propriâ eam definimus ἀρχὴν τὴν ἀκίνητὴν τῆ κινήσεως καὶ ἡρεμείων ἢ ὅτι ἀρχὴ πρῶτος καὶ ἀκίνητος καὶ ἀσυνβεβητός principium quoddam & causam motus ac status eius, in quo sit primò, per se, & non secundum Accidens.

VII.

Hæc NATVR Æ definitio, cum intricata non nihil semper torserit philosophos, eandem particulatim examinabamus.

VIII.

Definitio autem thes. enucleato, ad ὄρισμόν accedimus, partes eius ponderaturi.

IX.

Primò sese offert vox principii, quæ etsi sit ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, ut ex lib. Δ, Metaph. c. 1. colligere licet, hæc tamen, non quodvis, sed quoddam intelligimus: nempe quod est ordinis, cuiusmodi NATVRAM esse constat.

X.

Adde: Q. est materia & forma, illud principium dici meretur l. 1. phys. c. 6. l. *δ*. metaph. c. 1. Natura est materia & forma lib. 2. phys. c. 1. illa, quatenus habitas; quæ rei inest, ad motum & quietem; hæc pro ut effectivum quiddam habilitatem ad habitum deducens, E. Natura principium dici meretur.

XI.

Hic, antequam pedem ad alia promoveamus, primò videndum: cū NATVR A forma dicatur & Materia, An illius ratione principium tantum sit Activum; huiusve solum passivum: an utrumque simul?

XII.

Activum tantum opinatur Avicenna, motus in primis eo, quod Exempla ab Aristotele allata omnia Activitatem potius redoleant Naturæ.

XIII.

Verum rationem hanc proprio collapsam onere putamus explosione, ma-

ne magis, quam refutatione dignam: docet namque conspicuè philo-
sophus Materiam, quæ Activitatis expers, esse naturam: imò naturam
quandam passivam esse passim, in primis 8. phys. c. 4. t. 32. inculcat.

XIII.

Contrarium alii statuentes, maluerunt dici passivum, *τόπράττειν* e-
nim cum animæ tulerint acceptum, Naturæ denegarunt: At cum ipse
Aristoteles 2. phys. c. 1. animalia inter res naturales reponat, eaque)
moveri naturâ suâ asseueret lib. 8. phys. c. 4. t. 27. Nos regiam ingres-
si viam, & filo à philosopho nobis porrecto ducti, utrumque ei assi-
gnamus, rationes expetentem ablegamus ad lib. 2. phys. c. 1. t. 7. c. 1.
t. 8. 3. de cœlo c. 2. & θ. Metaph. c. 8.

XV.

Nec scrupulum sanè sano movere potest animus eiusdem rei cum
Natura duo principia concludens. Quis enim non videt, hanc rei prin-
cipium esse *τῶ κινεῖσθαι*, largiens habilitatem, qua res moveri potest: il-
lam *κινητικόν*, quod motum rei affert. Exulet ergò inutilis illa in *χαρακ-
τεριστικόν* insignientem & *χρηστικόν* Utentem Naturæ distinctio, quam
sibi ad effugiendum absurdum minimè absurdum nonnulli somniant.

XVI.

Deinde sciscitandum: cum Naturam formam & Materiam esse con-
stet, Vtrum ambæ æqualiter sit natura: an altera alterâ magis de ea præ-
dicetur?

XVII.

Respondemus cum philosopho d. l. magis esse formam, hac pri-
mò evicti ratione: quia unaquæque res magis est, & esse dicitur cum
est Actu, quam cum est potestate: deinde quod naturalius sit post gene-
rationem simile redire. Quorum utrumque cum forma sit, non verò
materia, formam magis naturam esse patet 2. phys. c. 1. t. 7. c. 1.

XVIII.

Tertiò dispiciendum: an etiam privatio, quæ l. 1. phys. c. 7. inter
principia relata, Natura dici possit. Reperiuntur qui Causæ voculam
principio in Naturæ definitione additam ob id autumant, ut exclu-
dantur principia, quæ causæ nomen non merentur, cuiusmodi sunt
privatio, punctum, & in genere quivis termini. Verum cum assertio
hæc menti Aristotelis parum sit congrua, respondemus, Naturam
(formæ ratione cui hæc competit partitio) esse duplicem, Actu talem,
talemque potestate privatio E, cum asserente philosopho libr. 2. phys.

σιν. C. 1. πῶς εἶδ' & forma potestate sit Natura, quoddammodo simul esse videtur.

XIX.

Ultimo notandum hic est obiter Materiam & formam dum Naturam dicimus, quarto modo per se eas considerari ἐκ προθέσεως, quatenus res physicae certa affectione habilitatis ad motum & quietem stipatae.

XX.

Secundò definitioni inseritur particula Causae, quoniam habitas & aptitudo motus & quietis non solum primò existit à natura, sed ipsa vim eam movendi quiescendique in rebus tanquam effectum (quod causarum esse testatur Aristoteles libro 2. phys. c. 3.) causatur.

XXI.

Vnde contra ἀδολεχίας crimen, cuius nonnulli Aristotelem, eiusque sectatores accusant, notandum principij & causae discrimen: licet enim secundum philosophum lib. 3. metaph. c. 1. t. 1. Omnis causa principij ambitu contineatur: non tamen vicissim hoc illi æquipollet: siquidem multa rerum sint principia, velut punctum lineae, non tamen earundem causa: cum nullam efficaciam effectus innuant, vel influxum ad eum importent.

XXII.

Succedunt in definitione voces geminae Motus & quietis, ambae non habitum & Actum, sed δυνάμιν denotantes: Est enim Natura ut supra dictum maiori ex parte motus principium passivum lib. 8. phys. c. 4. & 11. Metaph. c. 8. quae non agentibus tribuitur, quae Actu, sed iis quae sunt potestate, lib. 1. de gener. & Corrupt. c. 7.

XXIII.

Horum coniunctio etsi torqueat interpretes, Copulativam tamen eam esse, partim propter plura motus & quietis genera, partim ob utriusque rei etiam eidem inexistenciam, asseveramus.

XXIII.

Obijciunt adversarii: utrumque aut omnibus rebus pariter inesse, aut Caelum & Terram, quorum illud citra interruptionem aeterno cietur motu, haec perpetim quiescit, à definitione abesse.

XXV.

Sed facilis solutio: Motus quippe vocabulum hic & pro κινήσει sumitur motu proprie dicto in terminis contrariis, & pro μεταβολῇ mutatione Omni, quae fit in terminis contradicentibus: πάντα γὰρ φαίνεται ἔχοντα

ἔχοντα ἐν ἑαυτοῖς ἀρχὴν κινήσεως, καὶ στασεως τὰ μὲν κατὰ τόπον, τὰ δὲ κατὰ αὐ-
ξήσιν καὶ φθίσιν, τὰ δὲ κατὰ ἀλλοίωσιν, teste Aristotele lib. 2. phys. c. 1. t. 1.

XXVI.

Positâ hâc ὑποθέσει, respondemus, quibusdam unam inesse motus speciem, velut Cælo localem: nonnullis plures, ut Elementis & mixtis inanimatis, loci pariter & alterationis: aliis omnes, sicut animatis. De quibus tamen singulis vox NATURALE effertur. Adde quod dicta motus genera, aliis Actu insunt, aliis potestate, omnibus vel ratione totius, vel secundum partes.

XXVII.

Observandum a, hîc est, Naturam non tantum Causam esse motus immanentis, seu eius, qui est in Corpore, in quo inest naturâ, velut ignis est ascensio, & lapidis descensus, sed etiam transeuntis: sic Petrus propè fornacem incallescens calorem habet ab igne mutuatum.

XXVIII.

Cæterum cum natura extra subiectum non consistat, sed ei perpetuò cohæreat, præterea etiam non sit principium κινήτικόν, quod etiam externum esse potest: quarto loco additur vox Inest, quâ ab artificialibus Natura facit divortium: utpote quæ principium motus habent, nō in eo cui insunt, sed semper extra illud, in alio, lib. λ. metaph. c. 3. lib. 2. phys. c. 1.

XXIX.

Quoniam autem pluribus modis Aliquid inesse dicitur lib. 4. φυσικ. c. 3. ad excludenda accidentia & facultates, quæ rebus insunt δευτέρας & κατ' ἄλλο, adiicitur quintò, primò: quod enim e. c. statua semel erecta corruat, fit à principio externo, h. e. non qua statua, sed qua vel lapis vel lignum, quibus ob gravitatem primò inest descensus.

XXX.

Sextò inferitur per se: ut pateat materiam non tantum primò, sed etiam per se inesse: hæc autem seorsim ei convenire, vel hinc est manifestum, quod multa insunt primò, quibus tamen non fas per se inesse & contra. Exemplo sit triangulus æquicrurus, cui per se quidem inest, tres angulos habere duobus rectis pares, non tamen primò: quia non ut æquicrurus, sed quatenus triangulus hoc habet.

XXXI.

Restat ut properemus ad portum, perpendentes, & non secundum accidens: Quod etsi vel frustra vel tautologicè dilucidioris Intellectus gratia à Philosopho positum quidam opinentur: nobis tamen non secus

ecus ac reliqua definitionem integrare videtur persuasi quædam per
se inesse, quæ tamen ex Accidente alterius ratione insunt, id quod Me-
dici exemplo philosophus confirmat. cui, etsi curare ægros per se inesse
solet, evenit tamen, ut ipse ægrotus sui curam gerat, contingatque id,
quod per se Accidens est, separari ab eo, quod per se convenit inesse.

XXXII.

Explicatâ hæcenus Naturæ definitione, esset consecrarium, fusè
quibus eadem competat, delibare. Verum cum materiæ formæque
(quæ substantiæ insigniuntur, titul. lib. 2. phys. c. 1.) eam inesse supe-
rius demonstratur, pluribus superfedemus. Ergò

hic terminus esto.

Μόνω τῶ θεῶ ἢ δόξα.

Ad ornatissimum Dni. Respondentem Phi-
losophiæ Candidatum.

S I Deus & Natura parens (ut dicitur) absque
Præstanti faciunt utilitate nihil.

Tu satis es cautus, primo Motorejuvante

Si grave Natura pandere dogma studes.

Nam labor iste tibi complures proferet usus,

Clarius & sies laudis honore novo.

M. Matthias Duchon Moscho-
vviensis Hungarus.

ALIVD,

R Osetum, curæ cordique PRIAPUS habenti,

Largitur Veris tempore mille bona:

Auricomum croceis Rosetum floribus halat,

Profert ager fruges, gramina campus habet,

Arboribus redeunt frondes & cuncta virescunt,

In summa redeunt quæque reclusit hyems:

Sic quoniam CLARIIS VITE es Luctatus in arvis

Tempore nunc verno munera blanda ferent,

Munera blanda ferent, spargunt quæ laudis odorem

Artis, Virtutis, munera blanda ferent:

Munera blanda feret verno nunc tempore APOLLO,

Fronde Magistrali vestiet ipse caput.

M. Bernhardus Sauter Lindavus.

F I N I S.

